

„ statis, sed liberâ sui ipsius in oppositum de-
 „ terminatione. Sed quanvis illa gratia per se
 „ spectata, effectu illo careat, ad quem tendit,
 „ ad quem voluntatem excitat, & ad quem
 „ per antecedentem DEI voluntatem desti-
 „ natur, adeoque falsum sit hoc sensu omnem
 „ Christi gratiam semper habere eum effe-
 „ ctum, quem DEUS vult; si tamen spectetur,
 „ ut cum absolutâ DEI voluntate conjuncta;
 „ meritò hoc sensu efficax dici potest, quia
 „ semper id in corde hominis operatur,
 „ quod DEUS absolutâ voluntate intendit;
 „ Certum est enim apud Thomistas, auxi-
 „ lium sufficiens respectu unius actûs, sem-
 „ per esse efficax respectu alterius, ad quem
 „ efficiendum Decreto absoluto Divinæ vo-
 „ luntatis destinatur; adeoque apud illos
 „ omnis gratia est efficax alicujus effectûs;
 „ ejus nimirum ad quem proximè ordina-
 „ tur, & quem DEUS absolutâ voluntate in-
 „ tendit, juxta illud Isaïæ: *Verbum, quod*
 „ *egreditur de ore meo, non revertetur ad me*
 „ *vacuum; sed faciet quæcunque volui.*

Janfenius Articulo secundo consentiens.

DE gratia efficaci ait Janfenius Tom. 3.
 primæ editionis Lovaniensis col. 193.
esse prorsus talem, quæ simul ac pulsat fores,
rumpit ostia, repugnantemque domat volunta-
tem, tollit omnem ejus resistentiam, rapit eam
secum, & ex invitâ volentem, ac se determi-
nantem ineffabili suavitate, ac potestate facit.
 colum. 202. *Hæc itaque est vera ratio, & ra-*
dix, cur nulla omnino medicinalis Christi gratia
effectu suo careat; sed omnis efficiat, ut volun-
tas velit, & aliquid operetur. Dein ait, gra-
 tiam, & effectum esse convertibiles, & à se mu-
 tuò inseparabiles. Tamen pro gratiâ juxta
 Janfenii sensum inefficaci, nempe ad eum ef-
 fectum ad quem non est sufficiens, dicit ipse
 Janfenius lib. 2. de gratia Christi cap. 27. *Nec*
verò moveat quenquam, quod consuet multos
divinitus mente collustrari; imò verò, & in ipsa
voluntate motibus Divina gratia percelli, qui
tamen ab ejus internâ suavitate, & inclinatione
dissentiant.

Inter septem discrimina, quæ Janfenius
 allegat suam inter, & prædeterminantem
 Thomistarum gratiam, hoc designat tertium.
 Prædeterminatio physica talis esse dicitur, ut in
 quibuscunque circumstantiis voluntas collocetur,
 semper faciat facere, & operetur effectum suum,
 omnemque superet resistentiam: Christi adjuto-
 rium nullo modo; nam delectatio victrix que
 Augustino est efficax adjutorium, relativa est.
 Tunc enim est victrix, quando alicram super-
 rat. *Quod se contingat, alteram ardentiorẽ*

esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit ani-
mus, nec efficaciter unquam volet, quod volen-
dum est.

En gratiam juxta Janfenium, & Autho-
 res articuli inefficacem, quatenus excitat ad
 effectum, quem non producit, nec produce-
 re potest, quandiu concupiscentiæ delecta-
 tio ardentior est. Quapropter patet gratiam
 hanc solo fraudulento nomine *sufficientem*
 vocari. Sed neque Janfenistæ illi unquam
 eam verè, & simpliciter *sufficientem* vocant:
 semper callidè restringunt voce *Thomisticè*,
sensu Thomistico, apud Thomistas; quæ apud
 Janfenistas sunt particula alienantes; ita nu-
 gari Novatoribus lubet, & eludere, si possint,
 Ecclesiam. De hoc plura ad calcem quinque
 Articulorum. Licet Janfenius l. 8. de gratia
 Christi cap. 2. gratiam prædeterminantem
 Thomistarum impugnet acerrimè, ejus asser-
 tores vocans *Aristotelicos potius, quàm Au-*
gustinianos, & inter suam, ac prædeterminan-
 tem eorum gratiam, septem statuât discrimi-
 na, tamen etiam suam cap. 3. appellat *præde-*
terminantem, dicens: *Perspicuè apparet, im-*
possibile esse, ut adjutorium illud cælestis dele-
ctationis non determinet, imò prædeterminet
voluntatem. Sic dum Thomistas dentibus, &
 unguibus lacerat, inani subinde vocum con-
 sonantiâ ludificans, sibi nititur conciliare.

Fucos hos prosequitur cap. 4. *Sicut ergo*
in sensu composito verè sunt hujusmodi phra-
ses, quibus voluntas acta per Divinam gratiam
dicitur non posse resistere DEO, non posse dissen-
tere ab eo, quod per eam vult operari DEUS,
non posse declinari, non posse superari: ita è con-
trario in sensu diviso verè sunt, quibus dicitur
posse declinari, posse superari, posse dissentire.
 Eodem igitur modo locus Concilii Tridentini,
 quo dicit, quod liberum arbitrium à DEO mo-
 tum, & excitatum possit dissentire, si velit;
 itemque quod inspirationem recipiens, illam &
 abjicere potest; non difficulter ab eis, & à nobis
 solvi potest: Concilium enim in sensu diviso, in-
 quiunt, loquitur. Vis amplius? Eodem lib. 8.
 cap. 21. *Dominus ita movet voluntatem, ut*
quanvis infallibiliter convertatur, & opere-
tur, possit tamen motioni DEI refragari, aut
obtemperare, seu, ut Concilium Tridentinum
loquitur, illi dissentire, si velit; potentia quippe
dissentiendi non repugnat actuali gratiæ motio-
ni, & consensui; quanvis fieri nequeat, ut actualis
dissentus cum actuali DEI motione jungatur.

Quis verò suspicetur Janfenium reum
 esse secunde propositionis hæreticæ, *Inte-*
riori gratia in statu nature lapsæ nunquam re-
sistitur? Qui l. 2. de gratia Christi cap. 27.
 dicit: *Consuet multos Divinitus mente collu-*
strari, imò verò, & in ipsa voluntate motibus
 Divi-